

nisi in compromisso hoc actum fuerit. Glos. in c. *Cum dilectus*. §. *Nisi de his*. et Abbas ib. n. 12, h. t. Judex econtra potest utrumque.

27. *Multiplex discrimen inter arbitrum et judicem assignatur.* — IV. Judex potest dari invitus, l. *Munerum*. 18. §. *Judicandi*. ff. de *Minorib.* cum concordantiis ibidem per Glosam adductis. Non sic arbiter compromissarius: quia nemo invitus cogitur arbitrium suscipere, licet illud semel susceptum cogatur explicare, l. *Labeo*. 2. §. *Tametsi*. ff. h. t.

28. *Multiplex discrimen inter arbitrum et judicem assignatur.* — V. Judicium redditur etiam in invitum, l. *Inter stipulantem*. §. *Si Stichum*. ff. de *Verbor. obligat.* Secus dicendum est de arbitrio, arg. cit. c. *Labeo*, §. *Tametsi*, ff. h. t. Nam, sicut nemo cogitur esse arbiter compromissarius, ita et hunc non tenetur admittere invitus.

39. *Multiplex discrimen inter arbitrum et judicem assignatur.* — VI. Reconventio non habet locum coram arbitro, utpote qui non potest judicare, nisi de his tantum, super quibus in ipsum extitit compromissum: bene tamen coram iudice locum habet reconventio. Textus, et doctores in c. *Cum dilectus*, 6. h. t.

30. *Laudum arbitri non infamat, bene tamen sententia iudicis.* — VII. Laudum arbitri non infamat condemnatum: quia non per omnia sententia est, l. *Quid ergo*. §. *Ex promisso* ff. de *his qui notantur infamia*: juncta glossa ibid. §. *Non infamat*. Sententia vero iudicis super delicto famoso lata infamat, l. I. et seqq. ff. eod. cum similibus.

31. *Aliæ differentie inter arbitrum et judicem. Remissive.* — VIII. A sententia iudicis concessum est appellare, cit. tit. de *Appellat.* non item a sententia, seu laudo arbitri compromissarii, utpote mera voluntate propria a partibus electi; estque dictum supra, n. 17. Tacentur aliæ complures differentie, de quibus Speculator in cit. tit. de *Arbitris*, §. *Differt*, et alii passim.

§ II.

DE ILLIS, QUI COMPROMITTERE IN ARBITROS, VEL ARBITRI ESSE POSSUNT.

32. *Generatim loquendo possunt compromittere in arbitros, qui habent liberam rerum administrationem; alia secus.* — Quæritur I. Qui possint compromittere in arbitros? Resp. I. Generatim loquendo, illi possunt compro-

mittere in arbitros, qui habent liberam rerum administrationem: qui autem alienare, seu libere de re disponere nequeunt, nec circa eam compromittere in arbitros possunt, quando celebratur compromissum in forma, quæ alienationem inducat. Ita desumitur ex c. *Cum tempore*, ubi Abbas n. 3. et Barbosa in *Collectan.* n. 2. h. t.; Pirhing h. t. n. 10, et alii. Nam hoc ipso, quod ex tali compromisso possit sequi alienatio, sicut hæc supponitur esse prohibita et invalida, ita et illud; juxta reg. 94 juris in 6. «Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.»

33. *Idque declaratur exemplis.* — Sic in cit. c. *Cum tempore*. h. t. habetur, quod abbas cum conventu possit quidem compromittere in arbitrum circa ea, de quibus disponere possunt: non tamen circa illa, quæ concernunt libertatem, seu exemptionem ipsius monasterii; cum huic, etsi sponte velint, de jure nequeant sine licentia Summi Pontificis renuntiare.

34. *Idque declaratur exemplis.* — Similiter in l. *Non solum*. C. de *Prædis minor.* sicut non possunt per venditionem prædia pupillarum alienari, ita nec super eis potest transigi. Atqui compromissum æquiparatur transactioni. c. *Per tuas*. 9. h. t. ibi: «Compromittere posset, vel transigere super eo;» ergo.

35. *Quando tamen compromissum celebratur in forma alienationem inducente.* — Additur notanter n. 32. «Quando compromissum celebratur in forma, quæ alienationem inducat. «Nam secus dicendum, si alienatio rei prohibita inde non inducatur, sed pars succumbens solummodo teneatur solvere pecuniam alteri parti: quia valet tale compromissum (dummodo aliud non obstet) licet res ipsa alienari non posset. Abbas in cit. c. *Cum tempore*. n. 3. h. t.

36. *In specie compromittere in arbitros nequit pupillus, minor habens tutorem, servus.* — Resp. II. In specie loquendo, compromittere nequit pupillus sine tutoris auctoritate, nisi fidejusserit, a quo poena peti possit, l. *Si pupillus*. 40. ff. h. t. Idem dicendum de minore habente curatorem l. *Labeo*, juncta Glossa. §. *Commissæ*. ff. h. t. Tertio, compromissum a servo factum non tenet, l. *Non distinguemus*, §. *Si servus*. ff. eod. Neque procurator potest compromittere sine speciali mandato domini, c. *Per tuas*. et Abbas, ibid. n. 2. h. t.

37. *Quid de religioso, et clerico?* — Insuper religiosus nequit compromittere in arbitrum

II. DE ILLIS, QUI COMPROMITTERE IN ARBITROS, VEL ARBITRI, ETC. 435

absque licentia sui superioris, quamvis habeat administrationem. Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 7. Ubi inter alia hoc ipsum docet de clerico quoad perpetuum præjudicium faciendum Ecclesiæ, cui præest; licet quoad modicum damnum, ut puta de fructibus, seu in quantum donare posset, sicut et quoad bona sua patrimonialia indistincte, teneat ejus compromissum. Tacentur alii, de quibus idem Hostiensis, n. 6. et 7; Pirhing h. t. n. 11.

38. *Arbitri esse possunt omnes qui non reperiuntur prohibiti. Edictum de arbitris est prohibitorium.* — Quæritur II. Qui possint, vel non possint esse arbitri? Resp. I. Generatim loquendo omnes possunt esse arbitri, qui non reperiuntur specialiter prohibiti. Desumitur hoc ex l. *Labeo*. 3. §. fin. et seqq. ff. h. t., ubi subjungitur, quod possint in arbitros assumi cujuscumque dignitatis personæ. Item filiusfamilias l. *Sed et*. et l. *Quin etiam*, ff. eod. et tam ingenuus, quam libertinus, sive integræ famæ sit, sive infamis: non tamen servus, l. *Pædus*. 7. ff. eod. Concordat textus in can. *Infames*. §. *Cognitores*. 7. quæst. 3. nam edictum de arbitris est prohibitorium, certarum videlicet personarum; sicut et edictum de iudicibus, l. *Cum prætor*. 12 ff. de *Judiciis*, eo quod arbitria ad similitudinem iudiciorum sint redacta, l. I. ff. h. t. Unde quicumque non prohibetur expresse, per consequentiam admittitur, cit. l. *Cum prætor*. et c. *Cum apud*. 23. juncta Glossa, §. *Prohibitorium*. de *Sponsalib.*

39. *Arbiter nequit esse furiosus, mutus, surdus, pupillus, minor viginti annis.* — Resp. II. Loquendo magis in specie, furiosus, mutus aut surdus, sicut et pupillus, non potest esse arbiter compromissarius, l. *Sed etsi*. 9. ff. h. t. Idemque dicendum de minore viginti annis, l. *Cum lege*. 46 ff. eod. Nisi forsitan talis sit, qui de jure communi, aut consuetudine habeat jurisdictionem, seu potestatem iudicandi: quia tunc valide poterit in ipsum compromitti. Glossa in d. l. *Sed etsi*. citans Bartolum; et habetur simile in c. *Dilecti*. 4. h. t. Porro in majorem viginti annis potest quidem compromitti: si tamen is sit minor viginti annis, et temere compromissum acceptando, seu arbitrium pronuntiando læsus fuerit, restituitur in integrum, cit. l. *Cum lege*. §. *hæc*. ff. h. t.

40. *Quid de religioso?* — Resp. III. Religiosus privatus nequit esse arbiter compromissarius, nisi id exposcat sui monasterii utilitas, et prælati consensus accedat. Ita Duran-

us, tit. de *Arbitris*. §. *Sequitur*. n. 29 et 30; Engel h. t. n. 6; Sannig eod. cap. II. n. 3 et alii. Desumitur hoc ex can. de *Præsentium*. et can. *Monachi*. 16. q. 1 estque in simili jam dictum supra tit. 38. de *Procuratoribus*. §. 2. n. 48.

41. *Fœmina non potest esse arbitrix.* — Resp. IV. Fœminæ non possunt esse arbitri, seu arbitrices. Textus et doctores in l. ult. C. h. t. ubi istud intelligitur de quibusvis mulieribus, licet summæ atque optimæ opinionis constitutæ sint. Ipsæ enim ab omnibus civilibus, et publicis officiis remotæ sunt, l. *Fœminæ*. 2. ff. de *Regul. juris*. Et cum arbitria sint redacta ad instar iudiciorum, sicut mulier non potest judicare, ita nec arbitrari.

42. *Exceptis certis casibus.* — Intellige, nisi mulier sit talis, quæ in majori dignitate constituta habet potestatem iudicandi, c. *Vereor*, 8. q. 1 et c. *Dilecti*, 4. et Abbas, ibid. n. 1 h. t. Vel nisi terræ consuetudo, utpote derogans juri communi, aliud teneat, d. c. *Dilecti* h. t.; Durandus, cit. tit. de *Arbitris*. §. *Potest*. n. 1; Engel, h. t. n. 6. et alii.

43. *Bene tamen arbitratix.* — Insuper conclusio est intelligenda de arbitrio proprie dicto; secus est in arbitrato. Quia compromissum in mulierem, tanquam in arbitratricem, seu amicabilem compositricem, bene potest mulier acceptare, sicque partes pro bono et æquo componere. Casus est in c. *Quinta vallis*. 23 de *Jurejurand.* et notat Abbas in cit. c. *Dilecti*. n. 2. h. t.; Durandus, ubi supra, et alii. Siquidem eoram arbitratore non est iudicium, sed proceditur extrajudicialiter; ac proinde hic cessat ratio in conclusione allata.

44. *Laicus in causa spirituali, an possit esse arbiter?* — Quæritur III. Utrum laicus in causa spirituali, et iudex respectu causæ coram eo agitata, possit esse arbiter? Resp. I. In causa spirituali nequit laicus esse arbiter principaliter, c. *Contingit*. 8. h. t. et doctores ibid. nisi accedente auctoritate, seu jussu Papæ solius; ut limitat Glossa in c. *Decernimus*. §. *Non præsumant*. de *Judiciis*. et Abbas in cit. c. *Contingit*. n. 1. et 3, h. t. Potest tamen accedente auctoritate iudicis ecclesiastici laicus conjunctim cum clerico assumi ad arbitrandum de jure spirituali; valetque iudicium ab ipsis prolatum. Textus est in c. *Per tuas*. 9. et tradit Barbosa ibid. n. 3, h. t.; Covarruvias, cap. xxxiv *Prædicar.* quæstion. n. 4 et alii abis copiose citati.

45. *Et quid de causis civilibus clericorum?*

— Dicitur notanter, « in causa spirituali. » Nam, quod in causis civilibus clericorum, seu super rebus temporalibus ipsorum, possit compromitti in laicos etiam a clericis; notat Vallensis h. t. § 3. n. 3. id probans ex c. *Dilecti*. 4 h. t. Ubi Abbas n. 8. post Hostiensem, et Jo. Andream, addit istud fieri posse etiam sine auctoritate superioris ecclesiastici; ut colligitur ex c. *Contingit*. 8. argumento a sensu contrario desumpto, et ex c. *Exposita*. 11, h. t.

46. *Differentia inter prorogationem jurisdictionis laici in clericum, et inter compromissum hujus in ipsum.* — Nec obstat, quod clericus non possit prorogare jurisdictionem laici in se, c. *Significasti*. 18. *de Foro competent.* Resp. enim disparitatem esse, quia in prorogatione clericus subiceret se jurisdictioni laici; quod præjudicat privilegio clericali, ac ne quidem auctoritate episcopi fieri potest, per textum, et doctores in cit. c. *Significasti*. Secus fit in compromisso in laicum ut arbitrum: quia arbiter non habet jurisdictionem, sed notionem quamdam, l. *Ait prætor*. ff. *de Re judicat.* ac proinde clericus compromittens in arbitrum, non se subicit jurisdictioni laici contra privilegium fori ecclesiastici.

47. *In judicem potest compromitti tanquam in arbitrum.* — Resp. II. Potest in judicem compromitti tanquam in arbitrum, etiam respectu causæ coram ipso agitæ; dummodo id fiat a partibus sponte, et non jubente eodem judice. Ita Glossa in c. *Cum tempore*. §. *Magdeburgens.* et Abbas ibid. n. 5. h. t. id colligentes ex casu dieti capituli; Vallensis, h. t. § 3. n. 4; Sannig, eod. cap. II, n. 2. et plures alii; quamvis nonnulli oppositum teneant, saltem loquendo de jure civili. Conclusio hæc, quæ procedit tam de judice ordinario, quam delegato, desumitur ex c. *Causam quæ*, 8. *de Elect.* et cit. c. *Cum tempore*. h. t. et adhuc clarius ex c. *Cum olim*. 7. h. t. et c. *Litteras*. 14. *de Præsumptionib.* ubi tales casus referuntur, sicque conclusionem, saltem spectato jure canonico, reddunt propemodum indubitata, quam etiam tuetur Pirbing, lib. I. tit. 43, § 2. n. 13.

48. *Solvitur notabilis instantia ex l. Sed etsi*, ff. h. t. — Dices: in l. *Sed etsi*. 9. § 2. ff. h. t. dicitur: « Si quis judex sit, arbitrium recipere ejus rei, de qua judex est, inve se compromitti debere, prohibetur Lege Julia, » etc. Resp. istud esse quidem præcipuum fundamentum eorum, qui vel absolute docent non

posse in judicem compromitti ut in arbitrum, sed solum ut in arbitratorem; ut Glossa in d. l. *Sed etsi*. §. *Inve se* ff. h. t. vel saltem volunt aliud quoad propositum esse de jure canonico, et aliud de jure civili. Illinc nihilominus solummodo haberi, quod judex non possit jubere partibus, ut in se compromittant; prout etiam limitat altera pars nostræ conclusionis: non autem, quin partes sponte possint ejus arbitrio sese submittere, atque judex illud in se recipere et exequi. Quia enim clarum est, spectato jure canonico posse a partibus sponte compromitti in judicem ut in arbitrum, forte pro faciliori celeriorque expeditione causæ: hinc in citato textu ly « inve se, » intelligendum est, non disjunctive, sed copulative; ut hac ratione jus civile dubium, declaretur per jus canonicum certum, conformiter dictis in procemio § 13. n. 225. et seqq. Nam, quod in jure sæpius copulativa resolvatur in disjunctivam, et disjunctiva in copulativam, textus est in l. *Sæpe* ff. *de Verb. signif.* et l. *Cum quidam*. C. eod. Abbas in cit. c. *Cum tempore*. n. 5. et 6. h. t.

49. *Potest compromitti in unum, duos vel plures arbitros.* — Queritur IV. In quot arbitros compromitti possit, et debeat? Resp. I. Etsi rite compromittatur in unum, vel plures, pari vel impari numero; nihilominus consultius est, ut impari numero assumantur, eisque discordantibus stetur arbitrio plurium. Ita Glossa in cap. I. §. *Unus* et Abbas, ibid. n. 2. h. t.; Vallensis, § 4, n. 1. et communis. Et quidem prima pars patet ex cap. II. et c. *Innotuit*. 12. h. t. et l. *Item si unus*. § *Si in duos*. ff. eod. ubi aperte legitur posse in duos arbitros compromitti, et olim ita compromissum fuisse.

50. *Consultius tamen est, ut impari numero assumantur.* — Altera pars constat ex d. cap. I. h. t. ubi non quidem præcipiendo, sed consulendo dicitur, quod in arbitrum « aut unus eligatur, aut tres. » Quanquam hoc solum ponatur exemplificandi causa numerum disparem, et nihil impediatur, si quinque aut plures assumantur arbitri. Ideo autem hi eliguntur in dispari numero, quia homines sunt faciles ad dissentendum; sicque ipsis in pari numero electis, et discordantibus sæpe contingeret nihil ab ipsis concludi: secus, ubi eliguntur in impari numero. Siquidem

51. *Et tunc statur sententiæ majoris partis concordantis.* — Resp. II. Quando plures arbitri in impari numero, v. g. tres eliguntur,

statur sententiæ majoris partis concordantis, text. clar. cap. I. h. t. eod. in 6. In quo posteriori loco proin inferitur, quod si ex tribus arbitris duo condemnent Titium in decem, et unus in quinque, debeat sententiæ prævalere duorum, qui eum condemnant in decem.

52. *Quid, si ipsi omnes discordent in taxanda aliqua quantitate?* — Quod si ipsi omnes inter se discordent in taxanda aliqua quantitate pecuniaria (ut si unus reum condemnet, aut rem æstimet quindecim, alter decem, tertius quinque) obtinebit minima quantitas pronuntiata. Textus est in cit. cap. I. h. t. in 6 addita ea ratione: quia in minima parte omnes existunt concordantes; plus enim semper in se continet, quod minus est, juxta reg. 3^a juris in 6. cum concordantiis.

53. *Quid, si ipsi omnes discordent in taxanda aliqua quantitate?* — Nec obstat, quod ille, qui condemnat, v. g. in quindecim, expresse protestetur, quod nolit consentire in minorem summam, v. g. in quinque. Adhuc enim tenet sententiæ in quinque: nam protestatio impossibilis, seu contraria actui nihil operatur, arg. l. *Cum in plures*, § *Locator*. ff. *Locati*; Barbosa, axiomat. 19, n. 1.

54. *An valeat compromissum taliter in duos factum, ut si ipsi discordent, adjungant sibi tertium?* — Resp. III. Nihilominus, quando in duos taliter fuit compromissum, ut si ipsi ab invicem discordent, tertium aliquem incertum, seu primum ab ipsis nominandum, sibi adjungant, tale compromissum, et secutum inde laudum non valet: secus, si ipsis tribuatur potestas associandi sibi tertium certum, puta Sempronium. Textus est in c. *Innotuit*. 12 h. t. juncta Glossa fin. et Abbate, ibid. n. 8. et doctoribus communiter. Idem jam antehac legali provisione fuerat statutum in l. *Item si unus*. § *Si in duos*. ff. h. t. Accedit ratio hic allegata: quia arbitri illi semel discordantes possent etiam discordare in assumendo tertio (nisi hic jam antea esset determinatus, v. g. Sempronius) adeoque, ne lites diutius protraherentur, ac discordiæ ex discordiis nascerentur, sicque negotium indecisum maneret, lex voluit statim a principio tale compromissum viribus carere.

55. *Saltem, quando postea concordant in adjungendo illo tertio?* — Nec obstat, quod duo arbitri illi, quibus in casu discordiæ data est potestas sibi associandi tertium incertum, postmodum conveniant in assumptione tertii, sicque videatur cessare dicta ratio discordiæ.

Non obstat, inquam: quia in cit. c. *Innotuit*. h. t. duo arbitri, habentes potestatem associandi sibi tertium incertum, concorditer istum elegerunt; et tamen compromissum, ac laudum inde secutum pronuntiatur invalidum. Lex enim ideo voluit, a principio non valere tale compromissum, quia « et in assumendo » tertio incerto « possunt dissentire, » sicque dicta absurda evenire: atqui hæc ratio æque militat, sive postea consentiant, sive dissentiant; semper enim verum est dicere, quod potuerint dissentire. Quia igitur, quod ab initio non tenet, postea non convalescit, l. *Quod initio*. ff. *de Reg. jur.* cum similibus: tale compromissum, a principio jam invalidum, jure sic disponente ob allatam rationem, postea non potest convalescere, quantumvis duo illi arbitri consentiant in associando tertio incerto. Glossa fin. in cit. c. *Innotuit* et Abbas, ibid. n. 8. h. t. ubi addit contrariam opinionem Glossæ in d. l. *Item si unus*, ff. h. t. et paucorum aliorum, indubitanter non esse veram; Bartolus in d. § *Si in duos*; Speculator, tit. *de Arbitris*. § fin. n. 20. §. *Sed pone in eligendo*, et alii.

56. *Ponuntur, ac explicantur jura in contrarium militantia. Arbitrari, an possit vices suas alteri delegare?* — Dices. In c. *Cum a nobis*. 12. h. t. dicitur, quod valeat compromissum factum in unum, aut plures, ut ipsi vel per se causam diffiniant, vel per alios, quos ipsi elegerint; ergo etiam arbiter incertus potest assumi. Confirmatur hoc ipsum ex cit. l. *Item si unus*. § *Principaliter*. ff. h. t. ubi sic statuitur: « Usitatum est, etiam in duos compromitti: et debet prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam personam certam, eligere cujus auctoritati pareatur; » ergo. Resp. In concordandis hisce juribus satis variare doctores; uti videre est apud Glossam locis citatis, diversas solutiones afferentem.

57. *Ponuntur, ac explicantur jura in contrarium militantia. Arbitrari, an possit vices suas alteri delegare?* — Cæteris tamen dimissis melior videtur responsio posterior Glossæ in d. c. *Cum a nobis*. et Abbatis ibid. n. 1. ideo valere compromissum ibi factum, quia ex eo non poterat sequi dissensio illa, ob quam jura invalidant compromissum in personam incertam factum. Hic enim compromittebatur in arbitrum, ut vel per se, vel per alium a se eligendum, diffiniret: quidquid autem horum fiat, discordia nulla potest sequi; cum nec arbiter a se, nec ab ipso electus possit a

se discordare: sicut generaliter cessante causa dissentionis, ac periculi litium differendarum, de qua in contrariis juribus, merito tale compromissum approbatur. Et licet arbiter non possit regulariter vices suas alteri delegare, l. *Non distinguemus*. § *Quæsitum*, ff. h. t. id tamen limitandum est, sicut et limitatur ibidem, « nisi ad hoc compromissum sit, » atque per compromittentes talis potestas concorditer ipsi concessa fuerit.

50. *Ponuntur, ac explicantur jura in contrarium militancia. Arbiter a possit vices suas alteri delegare?* — Ad textum allegatum ex l. *Item si unus*. § *Principaliter*. ff. eod. respondetur, dictum arbitrium a principio fuisse validum, eo quod simpliciter in duos compromissum fuerit, quod licet: unde non mirum, quod ex post facto etiam teneat compromissum, quamvis per judicem cogatur eligi tertius, ut aliorum duorum arbitratorum dissentie tollatur. Secus est in prioribus contrariis juribus: ibi enim non simpliciter compromittitur in duos, sed sub conditione, ut si dissenserint, eligant tertium incertum. Nam hac ratione compromittentes in totum recesserunt a iudicis auctoritate, seque exposuerunt periculo novæ dissensionis, ob quam, et emergentia inde incommoda, ejusmodi compromissum jam ab initio suo per jura fuit cassatum.

§ III.

DE POTESTATE ARBITRORUM, CAUSISQUE SUPER QUIBUS IN EOS COMPROMITTI POTEST.

59. *Tanta est potestas arbitratorum, quanta ipsis in compromisso est attributa.* — Quæritur I. Qualis sit potestas arbitratorum? Resp. I. Tanta est potestas arbitratorum, quanta ipsis a partibus, vel iudice, in compromisso attributa fuit; adeo, ut fines compromissi excedere non possint. Textus est in l. *Non distinguemus*. § *de Officio*. ff. h. t. ubi proin Bartolus in *Summario*, inquit: « Arbiter nihil potest ultra id, quod est sibi in compromisso concessum. » Concordat textus in c. *Cum dilectus*. 6. h. t.

60. *Coram arbitro compromissario non valet reconventio.* — Sic coram arbitro compromissario non potest fieri reconventio: quia videlicet nihil potest ultra id, quod sibi in compromisso concessum est, cit. c. *Cum dilectus*. h. t. Ubi Abbas, n. 7, post Speculatorem tit. *de Recusatione*. § *fin.* n. 22. hoc ipsum

intelligit de arbitris juris, seu necessariis, quando isti assumuntur super certo dumtaxat articulo, v. g. an iudex sit suspectus: ut c. *Suspicionis*. 39. *de Offic. delegat.* Alioquin enim, si coram his locum haberet reconventio, articulus ille plus æquo prolongaretur, contra c. *Legitima*. 2. *de Appellat.* in 6.

61. *An ista locum habeat coram arbitro juris?* — Quod si vero arbitri juris sint electi ad totam causam (ut fit, quando episcopus contra clericum subditum vult movere litem, can. *Si clericus*. 11. q. 1.) tunc bene locum habet reconventio coram eis: quia tales arbitri eliguntur ad totam causam, sicut legati; simulque habent jurisdictionem ad instar iudicis delegati, juxta dicta superius § 4, n. 21 et 22. atque amplius declarat Abbas cit. c. *Cum dilectus*. 7. h. t. et sequitur Pirhing eod. n. 51.

62. *Arbiter per se ipsum debet dicere sententiam.* — Deinde arbiter debet per se ipsum dicere sententiam, per quam lis finiatur; nec potest per alium dicentem delegare, nisi hoc sibi specialiter fuerit commissum, d. l. *Non distinguemus*. § *Quæsitum*, et Bartolus in *Summario*, ibid. ff. h. t.; Glossa in cit. c. *Cum dilectus*. h. t. Censetur enim compromissum esse factum in hæc certam personam ex speciali confidentia erga ipsam; et alioquin, si possent arbitria transferri in alios, contingeret quandoque hoc fieri in inimicos compromittentium.

63. *Et juxta formam in compromisso præscriptam.* — Rursus arbiter cogitur dicere sententiam, juxta formam sibi in compromisso præscriptam: alioquin non valet, nec videtur dicta sententia, si forma compromissi non sit servata, l. *Quid tamen*. § 4. ff. h. t. et ibi Bartolus in *Summario*. Exemplum hujus affertur inferius § 5, n. 102. idemque dicendum de similibus.

64. *Arbiter potest pronuntiare de iis, quæ sunt connexa cum causa principali.* — Resp. II. Potest nihilominus arbiter cognoscere, ac pronuntiare de illis, quæ sunt necessario connexa, seu cohærentia cum causa principali, ita ut hæc sine illis commode expediri non possit, quamvis in compromisso specialiter non sint expressa. Ita Glossa, fin. in d. c. *Cum dilectus*. 5. et Abbas, ibid. n. 10. h. t. cum communi. Idque desumitur ex c. *Præterea*. 5. et c. *Prudentiam*. 21. § *Sexta, de Offic. delegat.* ubi commissa causa principali, etiam accessorium committi videtur, licet specialiter non sit expressum.

65. *Sic potest statuere diem solutioni faciendæ, et cognoscere incidenter de causa restitutionis in integrum.* — Idem declaratur inductione. Sic quippe arbiter electus potest statuere diem solutioni faciendæ, l. *Quid tamen*. § *Si arbiter*. et l. *Si cum dies*. § *fin.* et l. *Celsus*. ff. h. t. Deinde, quamvis arbiter non possit cognoscere principaliter de causa restitutionis in integrum, potest tamen de hac cognoscere incidenter, sive quando ea incidit in negotio, super quo compromissum fuit, c. *Causa*. 9. *De in integr. restitut.*

66. *Ac pronuntiare super qualitate rerum in compromisso expressarum.* — Rursus, quando dubium oritur de qualitate rerum in compromisso expressarum, potest arbiter de ista qualitate cognoscere, et pronuntiare, an veniat in compromisso: alioquin enim non posset commode decidi causa principalis, cum cognitio dictæ qualitatis sit preparatorium aliquod ad definitionem ipsius causæ compromissæ. Abbas cit. n. 10.

67. *Item pronuntiare de fructibus perceptis ex re, de qua compromissum est.* — Insuper potest arbiter pronuntiare super fructibus perceptis ex re, de qua compromissum extitit: veniunt enim accessorie ad causam principaliter commissam, ipsique cohærent. Glossa in d. l. *Non distinguemus*. § *de Officio*. § *Cautum est*. ff. h. t. istud inter alia probans ex l. *Ad rem mobilem*. et l. *Ad legatum*. ff. *de Procuratorib.*; Pirhing h. t. n. 49.

68. *Et condemnare contumacem ad solvendas alteri parti expensas.* — Et quamvis arbiter compromissarius (secus in necessario) non possit punire contumaciam litigatoris, nec testes cogere, nisi in compromisso istud specialiter cautum fuerit; ut dictum supra § 4, n. 19, potest tamen condemnare contumacem ad solvendas expensas, quas ob suam contumaciam pars altera fecit: hoc enim spectat ad interesse partis alterius parentis. Abbas in cit. c. *Cum dilectus*. n. 12. h. t. id probans ex d. l. *Non distinguemus*. § *Item non est cogendus*. ff. eod. Tacentur similia plura.

69. *De omnibus causis, quæ expresse non prohibentur, potest compromitti in arbitros.* — Quæritur II. De quibus causis possit compromitti in arbitros? Resp. I. Regula est, quod de omnibus causis, quæ expresse non prohibentur, possit in arbitros compromitti. Ita Speculator h. t. § *Restat*. n. 4; Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 5; Pirhing eod. n. 25. Nam, ut jam supra n. 38. dictum est, edictum de

arbitris est prohibitorium, certarum videlicet causarum, in quas compromitti nequit; et quarum plures enumerantur in l. *Non distinguemus*. § *Julianus*. et § *De liberali*. ff. h. t.

70. *Non vero de illis, quæ ob gravitatem exigunt majores iudices.* — Resp. II. Causæ illæ, quæ ob sui gravitatem, ac præjudicii periculum majores iudices exigunt, compromitti in arbitros non possunt. Ita desumitur ex c. *Causa*. 9. *De in integrum restit.* ubi quatuor causæ, illico enumerandæ, specificantur, hoc addito, quod in ipsis, « cum majores iudices exigant, arbiter nequit assumi. »

71. *Neque compromitti in arbitros, de causa restitutionis in integrum.* — Sic imprimis nequit assumi arbiter in causa restitutionis in integrum, nisi coram ipso mota sit incidenter. Hæc enim solummodo coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel eorum delegatis tractari, et fini potest; ac proinde non ab arbitris (cum hi jurisdictionem non habeant, sed notionem dumtaxat) nisi coram eis mota sit incidenter. Textus est in cit. c. *Causa*. *De in integrum restitut.* ac notat Abbas, ibid. n. 4. et communis.

72. *Nec de causa matrimoniali.* — Deinde non potest assumi arbiter in causa matrimoniali; sive, quando agitur de matrimonio carnali contra ejus vinculum, cit. c. *Causa*. juncta Glossa ibid. § *In matrimoniali*. Sicut nec super ea potest fieri transactio, cap. ult. *de Transaction.* estque dictum supra cit. tit. XXXVII, *de Transactionibus*. § 3, n. 19. et seqq. Etenim causæ matrimoniales, propter conjugii sacramentum, exigunt discretos et majores iudices: unde spectato jure communi solus episcopus de ipsis cognoscit; ut c. *Aecedentibus*. 12. *de Excessib. prælat.* ac novissime decrevit concilium Tridentinum, sess. 24, cap. xx. *de Reformat.*

73. *Nec de causa liberali.* — Tertio arbiter assumi nequit in causa liberali, cit. c. *Causa*. *De in integr. restit.* et l. *Non distinguemus*. § *de Liberali*. ff. h. t. In quo posteriori loco hujus ratio redditur, illis verbis: « Quia favor libertatis est, ut majores iudices habere debeat. » Atque hoc procedit, sive de ingenuitate (hoc est, an aliquis sit servus, vel ingenuus) sive de libertinitate quæstio sit, ac etiamsi ex fideicommissis libertas deberi dicatur; prout ibidem textus subjungit.

74. *Saltem stricte sumpta; secus, ubi agitur de subjectione unius Ecclesie ad aliam.* — Cæterum dicta procedunt de causa liberali